





I. N. 7.

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

Ad Cod. rubr. II. 10.

De

VETERIS NUMISMA-
TIS POTESTATE,

Quam

EX DECRETO & AUCTORITATE
MAGNIFICI, NOBILISSIMI
ET AMPLISSIMI ICTORUM IN INCLYTA
ARGENTORATIENSIS UNIVERSI-
TATE ORDINIS,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
rite consequendi,

SOLENNI Eruditorum Examini

subjicit

CHRISTIANUS MÜLLER,

Berol. March,

Ad diem Mensis Maij. h. lq. consuet.

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS WELPERI.

ANNO M. DC. LXX.

KONFERIERT
UNIVERS.
ZV HALLÉ

Vlll

17

1670/15.

5.



VIRIS

REVERENDISSIMIS, PERILLUSTRIBVS,
GENEROSISSIMIS, MAGNIFICIS,
STRENUISSIMIS, AMPLISSIMIS,
FURIS-CONSULTISSIMIS

DOMINIS, DOMINIS

PRÆLATIS,
COMITIBVS, BA-
RONIBUS, ÆQVITIBUS,
CONSULIBUS, & RERUMPUBLICARUM
DIRECTORIBUS,

Omnibus & Singulis

STATIBVS
MARCHIONATUS
BRANDENBURGICIS,

cis Suevum & TransAlbim,

DOMINIS Suis GRATIOSISSIMIS, GRATIOSIS,
ET OMNI OBSERVANTIA IN ÆTERNUM
DEVENERANDIS,

Hoc quicquid est Exercitij Inauguralis

submisè ac devotè

offert ac consecrat

CHRISTIANUS MÜLLER.



PROOEMIUM.

NON ibo inficias, Jus nostrum multis inenodabile videri, qui omnium rerum classes, articulos, membra, vel partes peruestigare intendunt. Tanta se cumulat materiarum series, ut vix animus paululum dubitans, quam apprehendat, certus esse valeat. Eminent inter cæteras quæ longè latèque usum in quotidianâ vitâ exporrigunt; sed harum quoque tanta farrago est, ut nescias, quænam earum sit eligenda. Quantò enim quid melius est, tantò majori cupidine devincire aliquem potest. Jurisprudencia namque est vera, nec simulata Philosophia, *Ulpian. l. i. §. i. de just. & jur. conf. Marq. Freher. tract. de fam.* Proposueram agere de diversitate naturæ actionum tam bonæ fidei, quàm stricti juris, quæ mihi omnium maximè materia arridebat, in quâ exponenda tempus fortè non malè collocassem. Verùm tandem

A 2 dem

dem victus rei difficultate consilium cepi
 de Numismatibus quædam conscribere;
 quorum tractatio per integros Codicis ti-
 tulos diffusa est. Nam quid potest arcti-
 us intercedere inter contractus emptionis
 & venditionis, quàm nummorum commo-
 dior usus? Et si crimen falsi, aut Legis Cor-
 neliaë rigor, falsarios terret, conspicuum il-
 lud magis est in monetarum corruptori-
 bus. Contrita quidem & politicorum vul-
 garis penè hæc est materia: at non minùs in-
 jus nostrum illa excurrere videtur, circa
 quam Ictus valdè defudet, necesse est. Ele-
 gantissimam autem copiosissimamq; hanc
 fortè plurimis exponere debebam paginis;
 sed certa conditionis meæ ratio, calamum
 progredi, ulterioremque expositionem fa-
 cere inhibuit. Sufficiat ergò paucas dispu-
 tationis meæ Inauguralis positiones, quan-
 tum tenuitas mea permittere potuit, his
 chartis publicè ex Decreto **AMPLISSIMI**
ICTORUM ORDINIS exhibere. **DEUS**
TER OPTIMUS MAXIMUS proposito
 nostro clementer aspiret, & benedicat, ut
 & hic disputandi conatus in sui nominis
 Gloriam ædificetur.

I.N.

I. N. D. N. F. C.

De

VETERIS NUMISMATIS
POTESTATE.
THESIS I.

ACceptio vocis Numismatis, monetæ, nummi vel pecuniæ, item solidi communiter synonymica esse solet, & ejusdem significationis; quorum tamen differentia constituitur ex eo, quod aliud alio vetustius sit vocabulum. Nomen enim pecuniæ, antequam monetæ vel nummi appellationes in usu esse cœperunt, jam est effectum, *Perez. in hunc tit. Cod. de vet. num. potest.*

TH. II.

Nummos quidam à Græca voce νόμος derivant, nempe quod à lege sint, non à naturâ.

III.

Pecunia nomen habet à pecude, quia pecudis notam principio referebat, *Plin. lib. 15. c. 3. & 33. c. 3.* Undè etiamnum omnia corpora, pecora, vel alia pecuniæ nomine in jure nostro veniunt, *l. 178. in pr. ff. de V. S.* item omnes res, tam soli quàm mobiles & jura, *l. 222. ff. eod. Petr. Fab. 1. semest. 23. & fructus, v. l. 32. ff. ad SCrum Treb.* Sed non vicissim per voculam omnia statim pecunia intelligitur: ut si quis domum cum omnibus instrumentis legasset, *l. 92. §. 1. ff. de legat. & fid. 3. & l. 79. §. 1. ff. eod.* Quare ut à victoria, bigis,

bigis, & quadrigis, nummo impressis victoriati, bigati, quadrigati nuncupati sunt, ita & pecunia à pecoribus.

IV.

Differt autem pecunia à nummis, v. g. talentum apud Græcos, Libra apud Romanos non sunt nummi, quia non corpore, sed diminutione constant. (Non corpore, inquam, sed corporibus, quomodo ergò erunt nummi? nisi in plurali numero nummos esse dixeris) Quis enim vidit nummum, qui talentum fuerit, aut tanti æstimatus sit, vel valuerit? Pecunia itaque hæc est, quæ constat ex varijs nummis: nummi verò, qui pecuniam constituunt. Sed pecunia sumitur hoc loco, quatenus opponitur corporibus, ut in *l. 5. in pr. ff. de impens. in res dot. fact.*

V.

Solidus sic dicitur, quasi aliquod integrum, quia integer est, nihilq; ei deest, si solidus verus sit; potest enim abradi, vel alio modo corrumpi, & hoc modo non esset integer. Deinde solidum idem denotat, quod vocabulum integrum, *l. 14. §. 1. ff. ad Leg. Falcid. l. 78. in pr. ff. de legat. 2. l. 85. de solut.*

VI.

Monetam à monendo derivant, ob nullam aliam causam, quàm quod monendi sumus, ne fraus vel dolus in ijs accipiendis vel dandis committatur, *Isidor. lib. 15. c. 7.* Reverà autem terminus hic est ambiguus, & ad multa alia potest extendi. Non enim solum circa monetam de fraude vel aliquo dolo admonendi sumus, sed etiam in omnibus rebus à tanta malitia longius abesse debemus. Proindè respondeo, in Etymologijs non adeò strictè procedendum esse.

esse. Nam si hoc modo disputare placeat, neque solidorum etymologia, vel numismatum vel pecuniæ posset defendi.

VII.

Origines notare, & ab origine res suas repetere Juris Consultorum aut Legislatores quoque in *l. 2. in pr. ff. de Orig. Jur.* esse dicitur. Quare primò observabimus, quòd olim, quamvis emptio sit contractus, *l. 3. l. 9. ff. de contrah. empt. vid. l. 2. & l. 48. ff. de Oblig. & act. l. 35. in fin. ff. de verb. obl. vid. Paul. l. 2. tit. 17. Juris gentium, l. 1. in fin. ff. de contr. empt. l. juris gentium. 7. ff. de pact. l. 5. de just. & jur. nominatus, d. l. juris gentium. 7.* in quo per consensum res pretio commutantur; tamen utrinque semper merx cum merce commutata fit. Cùm igitur ante receptum usum nummorum res rebus permutabantur, plerumque alterutra pretium quasi constituebat: altera mercem. Quemadmodum enim nunc in venditione & emptione pretium in genere pro specie datur; ita hoc tempore speciem certam pro specie dabant: sicque utilia pro utilibus commutabantur, *Arist. 1. polit. 6.* vel inutilia utilibus, aut contrà. Est verò inutile, quod nobis superest, quod aut penitùs inutile, aut minùs utile. Vicissim, quod permutatione ab alio accipio, ut mihi utile, quod adversario minùs est utile. Non enim semper contingit, ut res sit eodem pretio, aut valore, vel cuiq; eodem modo utilis. Sic RERUM commercia exercebantur. Ita etiam Trajani temporibus factitatum scribit *Plin, l. 33. c. 1.*

VIII.

Sed ejusmodi mercium sive rerum commutationem non puto adeò fuisse difficilem inter præsentibus; absentibus

absentibus tamē, sive remotioribus aut peregrinis nō æquē consulebatur. Minus enim ipsīs commodum erat, quandoque importare illa, quibus alij non indigebant, vel pro ijs vicissim exportare illa, quibus alij abundabant; ex quo parum lucri sperare poterant. Non enim facilē eveniebat, ut tu haberēs, quod ego desiderarem: invicem haberem, quod tu accipere velles, *l. i. in pr. ff. de contr. empt.*

IX.

Quare ex notitiā quādam compositā hoc est ex ratiocinatione commodorum vitæ & societatis à sapientibus multo rerum usu variāque doctrinā vestigata, exculpta, & introducta, in omnium gentium usum pervaserunt, & propter evidentem utilitatem ab omnibus peræque custodiuntur, *l. omnes. 9. ff. de just. & jur. numismata.*

X.

Numisma est materia, i. e. metallum cum figura & pondere, *16. Isid. 17. in fin.* cujus publica & perpetua æstimatio, ut inquit Paulus, *Arist. 1. Pol. 6. & 5. Eth. 8.* facta, ut difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret, eaque materia forma publica, *l. i. in pr. ff. de contrah. empt. & de pact.* (ne quis privatim adulterare posset) percussa, usum, dominiumque non tam ex substantiā, i. e. materia, *l. in venditionibus. 9. §. 2. ff. de contr. empt. l. Iulianus. 9. §. Sed si quis rem. 3. ff. ad exhibend. l. 4. ubi Cujac. ad verb. Substantiam. de usuc.* præberet, quam ex quantitate, *vid. l. 94. §. 1. ff. de solut. h. e. æstimatione quantitatis & formā, Duar. ann. disput. lib. 2. cap. 6.* potestate, valore Jure publico ei attributo (siquidem nummi non ex ma-

ex materia, sed ex instituto publico æstimantur, & propterea ex ære & laminis, *Cæsar* 5. corio, *Senec.* 2. de beneficiis 14. quin ex panno & lino fiunt, *Helmoldus* cap. 395. *Chron. vid. Hottomann.* 25. *Illustr.*) nec ultra merx utrumque; sed res invicem permutandæ merx & pretium, & permutatio earum à forma conventionis emptio, venditio nominaretur.

XI.

Rex Servius primus monetam signasse dicitur, qui Publicolam 25. annis præcessit; tamen sub Publicola, cum infrequentes essent nummi, omnia penè ovibus & bobus æstimabantur, teste *Plutarcho* in *ejus vita.* Lydis inventionem nummi tribuit *Hærodus*, *lib.* 1. De nummi inventione *vid. Aristotel.* 1. *Polit.* 6. & 5. *Eth.* 5. Indubiè constat apud alias atque alias gentes citiùs ac tardiùs nummorum usum receptum fuisse. Temporibus Taciti, nondum numismatibus Germani sunt usi, ut ipse refert *libello de morib. Germ.*

XII.

Nummi sunt ex Jure Gentium positivo, *Hanius ff. de contrah. empt.* introducti. e. g. variæ gentes ac populi inveniuntur, quibus pecuniæ usus inservivit, & adhuc inservit. Sic in sacra Scriptura legitur, Abrahamum, cum Sara uxor ejus mortua esset in civitate Arbæ, quæ est Hebron in terra Canaan, & ab Ephro filio Soar speluncam duplicem, quam habebat in extrema parte agri sui, pecuniâ emere vellet, quadringentos Siclos argenti probatæ monetæ publicæ appendisse, *Gen.* 23. De Græcis idem illud testantur versus *Homeri* in *l.* 1. *ff. de contrah. empt.* & *Arist. Oecon.* 1. B vers.

vers. Hippiæ Atheniensis 5. Ethic. 5. Atheniensibus enim statim perfecta erat emptio venditio, quia statim pretium persolvebatur, & nullâ morâ interpositâ mercem tradi oportebat in manus emptoris ex Charondæ legibus, arrham etiam in symbolum contractus dabant, qui contractus insignitus vel conscriptus fuit in albo civitatis ex legibus Thuriorum, vid. Athenæ. lib. 5. Stob. de legib. ex Theophrasto sermone 4. vers. Sunt qui. De gentibus alijs Stobæus tit. de leg. ex Theophrasto. Romani ex consensu hunc contractum celebrabant.

XIII.

Verum natura contractuum hinc altius repetenda erit, quæ pari passu cum origine triplicis juris processit: inde quæ juris naturalis, Gentium, & Civilis specialia sunt, discernentur. Ante initam inter homines societatem, tota hominis exercitatio in solatione, piscatione, & aucupio posita erat, ita feræ bestia, volucres, pisces & omnia animalia, quæ mari, cœlo, & terrâ nascuntur, simul atque ab aliquo capta sint, statim illius esse incipiebant, §. Feræ igitur bestia. 12. Inst. de rer. divis. postea convocatis hominibus, jure Gentium naturali accedente, iidem agricolæ, pastores, arboratores, atque etiam opifices sensim facti sunt. Tandem mercaturæ usus invaluit. Eodem tempore sermonem primum distinctum fuisse asserit Patricius lib. 1. de Rep. cap. 3. Plato in Protagora, Prometheus nomina invenisse, ut una vox ab altera distingueretur, cum antea teste Plutarcho lib. de procreat. non nisi sonus seu vox simplex aut communis hominibus & animantibus. Ita illi Gentiles, quam ex SS. literis aliter Christiani edocti sumus. Postmo.

Gen. 2. v. in. dicitur deus
sub voce dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur

Postmodum orta est duplex permutationis species, vetus & civilis. Vetus est, ut Pomponius: Omnia, inquit, manu à Regibus gubernabantur, *l. 1. in pr. ff. de Orig. jur.* Sed ante omnes Populus Romanus has conventiones introduxit. Hinc altera permutationis species, quam civilem appello. Quamvis enim origine sit juris gentium, (sicut Theophilus testamenti factionem ad jus gentium retulit, *Schneidevv. Inst. de test. ord. num. 14. Wesenb. ff. h. t. n. 8. in fin.* licet formam & solennitatem ac civilem functionem à jure Civili habeat, *vid. de eo Iason, in l. nemo potest. in 1. lect. num. 65. de legib. 1.*) confirmatione tamen & augmento est juris civilis.

XIV.

Nunc videndum, an sine nummis dici hodiè venditio possit. Sabinus & Cassius illud pro emptione & venditione habent: Nerva & Proculus putant, permutationem potius, quàm venditionem aut emptionem esse, *l. 1. §. 1. ff. de contrah. empt.* Nos dicimus esse permutationem, quæ sit sine nummis, aut certo pretio. Sabinus enim & Cassius putabant, quia nondum usus nummorum olim inventus erat, ut res alio modo emi non potuerit, esse emptionem vel venditionem, & quidem 1. ex Homero 7. *Iliad.* hoc volunt probare. Verùm Poëtarum autoritas, quâ nituntur Sabiniani *ex d. l. 1. §. 1. ff. de contr. empt.* hoc loco non valet; quibus nihil novi est, quandoque verbis ambiguis uti Bachov, *l. ad §. 2. ff. de contrah. empt.*

XV.

Pro Proculianis notanda est insignis differentia

inter emptionem & permutationem. Emptio venditio ex unâ parte habet mercem: ex alterâ parte verò pretium, quia emptionis substantia, i.e. res, quâ nimirum emptio ipsa perficitur, consistit in pretio, *l. p. et a. 72. ff. de contrah. empt.* & quidem pecuniâ numeratâ, *l. 1. §. 1. ff. de contrah. empt. §. 2. Inst. de empt.* Permutatio autem utrinque rem & rem commutat, ita ut si tibi aliquid trado, tu mihi vicissim, ut e.g. tunicam pro toga reddas, *l. 5. §. 1. ff. de prescript. verb. l. 1. §. 1. ff. de contrah. empt. l. unic. in pr. ff. de rer. permut.* unus frumenti certam modiationem dat: alter olei designatum pondus, *l. 7. C. de rer. permut. & prescript. verb.* II. Emptor dominium pretij transferre cogitur in venditorem, *l. 11. §. 2. ff. de action. empt.* venditor rei dominium transferre non cogitur, vel necesse non habet fundum emptoris facere, *Revard. 4. var. 19. reprehensus à Robert. 1. Recept. 23.* Satis enim est, rem tradere, & spondere evictionem, *l. 1. in pr. ff. de rer. permut.* (Curtâ tam dispariter & variè sit, ut à parte emptoris nummi præstentur, & eos teneatur emptoris facere: venditor verò simili modo rem emptoris facere non cogatur, illud indè fit, quia ille generis, hic speciei debitor est, quæ gravius eum onerat, quàm si genus deberet. Ergò non sine ratione relevatur in eo, ut tradere, non dare teneatur, *Accurs. Bart.*) Permutatio non perficitur, nisi res propria detur. Nam si rem alienam dederis, perindè est ac si nihil dedisses, & nulla prodita est actio, *l. ult. C. de rer. permut. & l. unic. ff. eod.* hinc pactum datione munitur, & transit in contractus nomen, *vid. Cujac. 11. obs. 17. in fin.* III. Permutatio distinguitur quoque ab emptione & venditione quoad actionem, quæ utrinque nascitur; ut puta,

puta, in venditione, evicta re vendita, actio datur ad-
 versus venditorem, vel ex empto, §. 17. §. 28. *Inst. de act.*
& passim in jure. (confer Magnif. Dn. D. Rebhan. Præ-
 ceptoris mei in æternum colendi Hodoget *Jur. chart. 2.*
clim. 3. p. 531. & 532. n. 7.) vel ex stipulatione simplæ,
 vel ex stipulatione duplæ, si una quædam harum in-
 tervenerit, *l. hoc jure. 27. ff. de evict. & dupla stipulat.*
 permutatâ re evictâ, in factum præscriptis verbis actio
 datur, *l. 4. in fin. l. rebus. 6. C. de rer. permut. & præscr.*
verb. l. ult. C. eod. l. 18. ff. de præscr. verb. l. 2. C. de pact.
int. empt. quæ incerti actio dicitur, *l. 7. §. 2. ff. de pact.*
Cujac. observ. 11. 4. c. 7. IV. Quod emptio sit contra-
 ctus nominatus. Nam etsi quidem simpliciter & in
 genere conventio dicatur, nomine tamen speciali em-
 ptio venditio, propter sui frequentiam inter homi-
 nes, qui sæpius emere aut vendere solent. Vocabu-
 lum autem permutationis non est certæ alicujus spe-
 ciei, *vid. Wesenb. ff. de rer. permut.* Omnis enim con-
 tractus penè secum trahit veluti permutationem
 quandam, quamobrem à reliquis distingui non po-
 test. Igitur rectè dicitur negotium, DO ut DES,
 carere nomine, licet permutatio appelletur, *Cujac.*
ff. de rer. permut. Corrasius l. miscell. 23. n. 4. statuit, per-
 mutationem vocari posse contractum nominatum,
 sed ab eadem opinione viderur recedere, *2. miscell. 15.*
in fine.

XVI.

Olim in Imperio Romano Triumviri monetales,
 (quos Cicero *7. famil. 13.* Treviros monetales vocat)
 æris, argenti, auriflatores, secundum tria præcipua
 metalla, ut aurum, argentum & æs, quæ nummis in-
 sunt, constituebantur, *l. 2. §. 30. ff. de orig. jur. & mo-*
 netarum

netarum magistri, alijque rei monetariæ inservientes; illi in æde Junonis, monetæ monetas percutiebant, (quod Jus Carolus Magnus tam sanctè habuit, ut non alibi, quàm in ipso Palatio illam cudi jufferit, *Perez. in Cod. de vet. num. pot. n. 6.*) Et hi viles habebantur, à dignitatibusq; prohibiti sunt, & conditionem hanc monetariam tanquam vilissimam & inhonestam, *l. 6. C. de dignitatib.* immutare non poterant, *l. 1. C. de murilegul. & Gynaciar. & c.* ne ullo quidem dignitatis privilegio, veluti militiæ, *l. 11. C. eod.* Militibus enim etsi, propter occupationes publicas, quas pro Republ. defendenda sustinent, quod diffusè Bachov. explicat *ff. de testam. milit.* in multis rebus permitteretur, quod alijs indultum non erat, videlicet, quomodo placuerit ipsis, aut potuerint testamentum facere, solo militis testantis nutu & voluntate sufficiente, *l. 1. in pr. de test. milit.* tamen monetarij ijs dignitatum cingulis muniti ad propriæ artis & originis vincula revocabantur, *d. l. 11. C. de murileg. & gynacian. & procur. & c.* & *l. 6. C. de dignitat.* adeò, ut nulla ingenua auderet cum ijs matrimonium contrahere, & si hoc fecisset, decus nativæ libertatis amittebat, *l. 13. C. de dignitatib.* nisi admonita conventionem discesserit.

XVII.

More veterum pecunia non numerabatur, ut nunc, sed adpendebatur, *Donatus in Phormione verb. nunciatim.* Hinc argenti dicitur pondus in *l. 30. §. certis. ff. ad L. Falcid. l. 1. §. ult. ff. de aur. & arg. legat. l. 35. §. 1. ff. eod.* Huc pertinet, quod collatores tributorum, quando illationem fisco faciebant, aurum illud, quod solvebatur, sinerent ponderare. Ponderatores verò
 Libripendes

Libripendes dicti fuere, *Plin. lib. 33. c. 3.* qui duobus digitis, summitatem lini in librâ retinebant, tribus reliquis eminentibus, ne aliquid ponderi adderent, *Perez. C. de ponderatorib. & aur. illat. n. 1.* sic res æquâ lance & libramentis paribus suscipiebatur, *l. 1. C. de ponderat. & aur. illat. vid. C. Th. n. 7. 1.* (Paribus i. e. æquis. *Libra habet septuaginta duos solidos, Syn. Basil. 56. tit. 5. c. 15. l. 1. in fin. C. de magistr. sacror. scriv. l. 5. C. de Susceptor. 10. 70.*)
Quocirca unaquæque civitas suum habebat publicum auriponderatorem, *l. 2. C. de ponder. & aur. illat. vide Edict. just. 11. c. 2.* ubi ponderatores monetariosque pecuniam ex justo pondere & bonitate intrinseca æstimare debere, dicitur, Undè apparet, quanta in nummis explorandis, veteribus fuerit diligentia, *Synesius.*

XVIII.

Uni hoc officium concedi posse apparet ex eadem *d. l. 2.* quemadmodum in stipulationibus unus potest esse interpret linguae vel Græcæ, vel alterius, ad eoque testis alicujus stipulationis, vel etiam unus Notarius, *vid. Zas. ff. de verb. oblig. n. 6.* & licet talis unus testis ad probandum sufficiens non sit, *l. 9. C. de testib.* tamen aliquando hoc fieri potest vel per communem consensum partium, *fac. l. 14. ff. de dot. prelegat.* vel si quis publicâ autoritate ad hoc constitutus fuerit, ut *in d. l. 2.* *Perez. C. de ponderat. & aur. illat.* putat, illum de cuius auro vel argento agitur, posse alios istius artis peritos producere, quibus iudicium æstimatoris aut ponderatoris destruitur; *Garsia tract. de expensis c. 24. n. 22. & Gomez. tom. 2. c. 9. in fin.* quemadmodum unius Medici aut Chirurgi iudicium, ubi de vita & vulnere agitur, insufficientis est, *in l. 6. C. de remil.*

re milit. infr. lib. 12. Christinaeus ad tit. C. de pond. & aur. illat. decis. 57. n. 20.

XIX.

Græci ejusmodi auri ponderatorem appellant Zygotatem, qui signa ponderibus imprimebat; sine ulla excusatione tamen onus tutelæ ipsis delatum, ferre cogebantur, quamvis in publicâ re occupati, ut *ad l. 6. ff. de excus. tut. notat Cujac. Ζυγοστάσις* fit mentio in *l. 1. C. de frument. Alexandr.* ubi verò Ζυγοστάτης est, qui frumentum admetitur,

XX.

Nummorum causam generalem hanc esse, ut Reip. inserviant, & pretia constituent indubitata, sine quibus emptio venditio esse non potest, *l. empti. 9. C. de contrah. empt. & vend. l. 2. §. 1. ff. eod. Inst. eod. in fin. pr. nemo est, qui dubitat, Cujac. 8. ad Africcn. fol. 192. ex Caleno XI. de differentiis puls. & ex Platone II. de Repub.* Nam cum rerum permutandarum proportio esse debuit, neque tamen aliter fieri posset, quin altera majoris æstimationis vel pretij esset: altera verò minoris, *Arist. lib. 5. moral. cap. 8.* ideò, ut omnis inæqualitas cessaret, ejus controversiæ nummus sequestor & arbiter est datus. Hinc commerciorum liberior usus & contractuum multiplicitas; hinc differentia orta est inter emptionem & permutationem. Propter pretium enim emptio, venditio distinguitur à permutatione, quod illi quidem inest; huic verò non item, *l. 1. in pr. ff. de contr. empt. l. 1. in pr. ff. de rer. permut.*

XXI.

Neque verò illa nummorum quantitas aliundè perfici-



perficitur, quàm à potestate, qua affecti sunt vel à Populo, vel à Principe, ut colligere est ex *l. 1. C. de vet. num. pot.* Potestas non semper æstimanda est ex qualitate materiæ aut pondere. Interdum enim moneta non ex metallo, sed vili materiâ signata fuit, & pondus etiam apud Romanos sæpiùs variavit. Potestate detractâ, nummi usum habere desinunt, & vendi possunt, *l. 9. §. 2. ff. ad L. Cornel. de fals.* Proindè monetam publicam majori pretio accipere vel minori non licet, multò minùs dare, *Molineus tract. de usur. quest. 100. num. 814.* Usus enim monetarum est juris publici, *l. 1. in pr. ff. de contrah. empt.* quod pactis privatorum immutari non potest, *l. Ius publicum. 38. ff. de pact.* Sic enim in hujusmodi speciebus magna capto esset, & periculum. Nam si moneta decrescit, tunc etiam rerum pretia evilescent; & contrariò augetur etiam rerum æstimatio. Contrariorum enim eadem est ratio. *Plinius lib. 34. c. 2. lib. 33. c. 1. lib. 33. c. 11.* alibi ars, alibi materia, inquit, est in pretio. De pretio nummorum vid. in exactissima omnibusq; numeris absoluta disputatione secunda de mensura pretij, venerandum Dominum Bœclerum exquisitæ eruditionis pelagus.

XXII.

Æstimatio seu valor impositivus nummorum dicitur nummi bonitas extrinseca, *Bart. in l. cum quid 3. n. 16. & seq. ff. de reb. cred. & Dd. in l. Paulus. ff. de solut.* quæ opponitur bonitati intrinsecæ, materiæ videlicet sive metallo, tam respectu bonitatis quàm ponderis, *Perez. in C. de vet. num. pot. n. 11.* Pretium deindè aliud dicitur certum, ut *in l. stipulationum. 74. ff. de*

ff. de verb. oblig. aliud incertum v. g. quando venditor tantum postulat pro re venditâ, quanti emit, aut eâ quantitate vult vendere, quàm in arca habet, *l. hac venditio. 7. §. pen. ff. de contrah. empt.* Cum igitur pretium sit finis vel effectus nummorum, quæritur, an etiam nummi mercis vice fungi possint? in l. 9. enim §. 2. ff. ad L. Cornel. de fals. nummorum tam empti- onem quàm venditionem esse dicitur. Sed respon- detur, legem citatam intelligendam esse de peregrini- nis nummis, Daricis puta vel Philippeis, Tetradrach- mo Attico, Siculo &c. quod genus emi solitum re- fert Volusius Metianus *libro de Asse*. Huc facit, quod victoriati nummi (qui ob victoriæ signum inibi im- pressum hoc nomine veniebant, priusquam L. Clau- diâ nummi percuterentur) ex Illyrico adducti pretio oppositi sint, mercisque loco habiti, 33. *Plin 3. de quo numismatum genere extant nonnulla apud Varro- nem 8. & 9. de lingua Plin. 20. cap. ult. & 33. cap. 6.*

XXIII.

Sub eadem qualitate referuntur etiam numisma- ta vetera, *l. 1. C. de veter. num. pot.* quæ in gemmarum locum succedunt, *l. 28. ff. de usufr.* In ijs enim cor- pus nudum & figura saltem aspicitur, non aliter quàm in cæteris nummis, qui instar gemmarum ha- bentur, *l. quintus. 27. §. cui legatum. 4. ff. de aur. & arg. legat.* eorum etiam usufructus legari potest, *d. l. nu- mismatum. 28. ff. de usufr.* & non in quantitate, sed in specie præstandi sunt, ut Philippei, *l. 27. §. 4. in fin. ff. de auro & arg. legat.*

XXIV.

Philippei sunt aurei nummi, quos Rex Philippus
ita

ita appellavit, de quibus sæpius Plautus memorat
Hor. 1. epist. Philippeum Regale numisma à Philippis
Regibus Macedoniae. Et sicut Philippi à Philippo
Rege dicuntur ita & Darici à Dario, quia eius effigie
signati erant, *Bod. 1. de Rep. 10.* Ita aurum & argen-
tum legatum, jam factum, legato continetur, *l. 19. in
pr. ff. de aur. & arg. legat. l. 78. §. 4. ff. de legat. 3. Paul.
3. sent. 6. §. 88.* quorum appellatione venire antiqua
numismata docet Ulpianus, quamvis nudæ materiæ
appellatione non comprehendi materiatur, quod ad
suam materiam reverti non potest, docet *l. 57. ff. de
legat. 3.* Muruo verò dari non possunt, quia hic ma-
gis respicimus quantitatem, vim ac valorem, quam
corpora, *l. si is cui 94. §. 1. ff. de solut.* Sed commo-
dari possunt, quia usu non consumuntur, & in spe-
cie consistunt. Simili modo Valentinianus veteri-
bus numismatibus aut nummis suum valorem illi-
batum & minus corruptum, immutatumve reddidit,
modo sint debiti ponderis, & speciei sive materiæ
probæ, *l. 1. C. de vet. num. potest.* Species enim hic in
d. l. interpretanda est, pro materia nummi, quæ est
metallum.

XXV.

Idem illud Jus monetarum potest referri ad do-
minium eminens. Nam populi primùm hoc jus ac-
ceperunt, quod transfulerunt in Principem. Ergò
est reservatum summi Principis, *Perez. in C. de veter.
num. potest. n. 4.* & ad majestatem Principis, ut rega-
le majus refertur, *l. 2. C. de fals. monet. cap. unic. qua
sint regal. R. I. Anno 1524. §. 26. Ann. 51. §. 47. Ann. 70.
§. 134.* vid. *Arist. 2. Oec. 1.* ubi hoc jus soli Principi
tribuit. Rex enim tantummodo monetam cudere
potest.

potest. Hinc adulteratio monetæ est crimen læsæ ma-
jestatis, 2. Feud. 56. l. 5. C. ad L. Iul. Maj. & citra violatio-
nem Majestatis minimè exerceri potest à privatis, l. ult.
C. de fals. monet. dd. R. I. Const. crim. art. 11. Eclog. c. 1 in fin.
fac. l. 6. §. 1. ff. ad l. Iul. Pecul. scil. præter eam, quam pu-
blico nomine faciunt. Monetam cudere non possunt
privati, ideò Asconius Poëdianus constitutum fuisse
scribit, ne quis privatus pecuniam faceret. Illi enim fur-
tum publicæ monetæ fecisse dicuntur, & in crimen pe-
culatus incurrunt, d. l. 6. §. 1. ff. ad L. Iul. Pecul.

XXVI.

Pœna falsarij vel adulteri monetæ est supplicium
capitale, l. 1. C. de fals. monet. quod est flammæ ex-
ustio, l. 2. C. de fals. mon. (De ignis supplicio vid. l. 28 in
pr. ff. de pœn. l. 9. C. ubi causa fiscalis. l. un. C. de mulierib.
qua se propr. serv. junx. l. 3. C. de malefic. l. un. in fin. C. de
rapto: l. un. C. de parricid. l. 6. ff. ad L. Iul. pecul. l. un. C. de
Nili ageribus non rumpeud. l. 8. §. 2. l. 28. §. 11. 12. ff. de pœn.
l. 1. C. de immunit. nemini conced. l. 9. C. de re milit. adde l.
8. C. de summ. Trinitat. l. 13. C. de ludais. l. 6. C. de heret. l. 7.
C. de jur. fisc. Perezus verò in C. de fals. monet. n. 12. vi-
vos comburendos non esse ait, nisi Concilio Triden-
tino, cujus autoritate pœnæ atrociores sublatae sunt.
An desperationem enim, inquit, inciderent, ac ita non
minus animæ quàm corporis jacturam facerent, quod
impium esset ac inhumanum) manuū amissio, Eclog.
tit. 16. c. 1. in princ. Harmon. sicut apud Aegyptios. Pa-
trimonium verò ejus, qui adulterinos nummos cudit
fisco caducum est, l. cit. & servi in scio domino id cri-
men falsi committentes propriæ criminis pœnam lu-
ent summi supplicij; (Nam olim si liberi erant, besti-
is mancipabantur) attamen domino res suæ salvæ ma-
nent,

*C. cond. III.
L. ult. ff. de pœn.
L. ult. ff. de pœn.
L. ult. ff. de pœn.
L. ult. ff. de pœn.*

ment, quia servi non possunt causam dominorū deteri-
orare, nisi fortè eâ de re conscij sint, *Paul. s. sent. 12. §. ult.*

XXVII.

In eo adhuc quæstio est, an vivicomburio punien-
dus sit, qui falsam monetam percutere non erubuerit?
Nam illud clarum est, in monetâ probâ & justî ponde-
ris crimen falsi etiam posse committi, scil. si per eam
Principis auctoritatem sibi quispiam arroget. Et sanè
dicendū videtur, constitutionem criminalem Carol. V.
hanc vim habere, ut, licet jus nostrum eâ de limitatio-
ne non agat, adeòq; ita distinguat, tamen poena minu-
atur, & iudicis arbitrio relinquatur. Idem ferè judi-
cium est de percussoribus falsæ monetæ, si rem in effe-
ctum non perduxerint. Nam hos liberare potest iusta
pœnitentia, *l. 19. ff. ad L. Corn. de fals.* non obstante *l. 8. C. eod.*
Eodem modo absolvitur, qui exhibet illum, à
quo falsam monetam accepit, qui dolo malo eâ in re
non fuit versatus, aut scienter aliquid egit, *l. 4. C. ad L. Corn. de fals. l. 5. C. de furt. & serv. corr.* Facillimum enim
est, ut hæredi id quoq; accidat & justè ignoret, testato-
rem hac in re deliquisse; quo casu ipse absolvitur,
vid. Clar. s. sent. §. falsum. vers. utens falso.

XXVIII.

Ultimò observandum est, quod alicui imputan-
dum non sit, si fabricator falsæ monetæ effugerit, mo-
dò alter eū exhibere voluerit, *Ant. Fab. hic in Cod. def. s.*
Sed quid statuendum erit, si quis pecuniam adulteri-
nam servet & non expendat? Respondeo, hunc crimi-
nis reum non esse, interim à suspitione non liberari.
Qui verò pecuniam raserit, vel circulum monetæ am-
putaverit, iniquissimi lucri causâ, supplicio capitali af-
ficiendus erit. Apud Gallos aqua oleoq; fervente sive
bulliente

*Quod si statim perceptor
falsam monetam percutit
50. Libr. aut pendere
debet. Nam dicitur
Ord. 1559. §. 32.
et multa indignatione
Caesar. app. dicitur
L. 1551. §. 46*

Handwritten notes in the right margin, including a large '2' and other illegible characters.



bulliente suffocantur, in Hispania laqueo. *vid. Clar. s. sent. §. Falsum. vers. dixi:* Sub Imperio Theodosij, Valent. & Arcadij tam magni æstimata fuit moneta, ut nullus Principe inferior eam cudere potuerit, quam Princeps, *l. 2. C. de fals. monet. & in fin. eod. tit.*

XXIX.

In Regno igitur hæc ipsa potestas penes unum ceu Regem est: In Aristocratia penes Optimates: in Politia penes populum. In nostra Republ. Romano-Germanica primùm Imperatori competebat, tandem privilegijs & præscriptionibus eò res pervenit, ut etiã Principes inferiores hanc sibi tribuerent, ut v.g. Electores, Status Imp. & liberæ Civitates, *vid. Arnif. l. 2. Rel. Pol. c. 6. §. 5. n. 133.* Novissimè tamen inter Imperatorem & Electores convenit, ne videlicet ulli Statuum sine consensu Electorum illud regale monetam cudendi ex indulgentia Imperatoris largiatur. *Add. Laudens. de monet. Mynsug. cent. 4. obs. 24.* Rex Angliæ hæc jura monetarum adeò sibi reservaverat, ut nullibi passus fuerit monetam cudere, quam in turri Londinensi, *Arnif. l. de jur. Majest. c. 7.* Nihil autem refert, Principes ipsi suis nummis valorem imponant, vel aliorum nummos recipiant. Ita monetæ Hispanicæ & aliorum Principum in Imperio Romano, quamvis ejus non sint, modò tamen juxta præscriptum Imperij sint cusæ, obtinent.

XXX.

Sed quæritur? an solus Princeps aut penes quæ summa Reip. est, vel qui monetandi jus habet, etiam valorem augere, vel minuere poterit? Aristot. quidem *s. Ethic. 8. Nummus*, inquit, *non naturâ, sed νόμῳ seu instituto constat, in nobis est eum mutare ac inutilè reddere. & 2. Oec. 1. Regiam administrationem facere, ut nummi pretiosi sint & viles.*

viles. Verùm satiùs est, si accedat etiam consensus eorum, quibus præjudicium ex mutatione fieri potest, *Perez. in Cod. de vet. num. pot.* Rex sine populi consensu pecuniam immutare non potest, *Lucas de Penna Cod. de vet. num. pot. sub lit. i.* Deinde valore nummorum immutato, considerandum, ne etiam cum pecuniæ augmento, crescant rerum venalium pretia, *juxta l. 2. C. de vet. num. pot. vid. Ant. Fab. de nummariis solut. cap. 6. Aliter Molina. de usur. num. 715. & Larrea ad decis. Granet. disp. 11. & seqq.*

XXXI.

Ad figuram five pondus numismatum quod attinet, sciendum in numismate tria considerari, metallum, figuram & pondus, *l. 1. C. de vet. num. pot.* (Hinc falsa moneta deprehenditur ex materia, pondere & formâ adulterinâ) ex quibus si quid deficiat, perfectum five probum numisma non erit, aut planè nummus non est, *16. Isidor. 17. in fin.* Figura numismatum est, five consistit v. g. in faciebus veterum Principum ac æternali vultu, *l. 3. infr. de vet. num. pot. l. 6. C. Th. de jud. ord.* De sacro ore & divino vultu vid. apud Paul. 5. *sent. 25.* Hinc statim illi, qui privato studio Principum vultum five iconium, ut est in historia Antonini Florentini & apud Suet. *in Calig. aureum iconium Eclog. 14. c. 8.* in monetis cudunt vel fingunt, *Paul. 5. sent. 25. §. 1. Leg. Cornel. tenentur.*

XXXII.

Eodem modo apud Gothos in omnibus monetis vultus Regum impressi sunt, *Cassiodor. 7. variar.* Idem apud Francos usu venire solitum. Hodiè insigniuntur imagine ejus, cujus cuduntur autoritate, *Limn. de I. P. lib. 3. c. 2.* Sic etiam Imperatores Romanos suam monetæ

netæ effigiem impressisse, *Matth. 22. v. 20.* constat, Constantinus M. in aureis nummis ita imaginem suâ fingere voluit, ut panis manibus instar precantis cœlum contueri videretur. Veteres Romani nummis effigiem bovis, ovis, & suis imponebant, *Plur. Quæst. Rom. 41.* Antiquitus *Arist. 1. Pol. 9.* monetæ valorem pondere ac magnitudine æstimatum fuisse ait: progressu vero temporis notâ seu signo definitum fuisse.

XXXIII.

Materia nummorum præcipua est metallum, videlicet Aurum, Argentum, æs, *l. 2. §. 30. ff. de orig. jur.* Nummi, qui aurum optimum habent & purissimum, obryzum aurum vocantur, illud quod igne probatur, si scilicet, ejusdem cum igne coloris rubri sit. Obryzatorum porrò mentionem injicit *l. un. C. de oblat. vot.* Obryzum aurum adeoq; purum, quod nullâ hominum industriâ perfectius fieri potest. Illud aurum 24. caratijs constat. Caratium sive caratum est gradus bonitatis, sive æstimationis in auro. In hoc aurum tot graduum nulla potest cadere mixtura. Nam si aliquid admixtum sit, tunc species mixturæ, ut quando vilior materia accesserit, liga vocatur. Liga est mensuratio graduum metalli in casu mixtionis certæ ob commodiorem, durabilioremq; usum, & sumptuum monetariorum pensitationem, definita, Marca autem Argenti puri tantum 14. latones 4. grana continet. *Perez. in C. de vet. num. pot.*

XXXIV.

Contrarium obryzi auri est adulterinum aurum, *l. 9. in pr. ff. ad L. Corn. de fals.* quod conflant puta æs vel stannum adjiciendo, *Paul. 5. sent. 25. §. 4. adde l. 1. in fin. ff. ad L. lul. peculat.* vel plumbum. Hæc species vitiorum

vitiorum apud Ciceronem ad Atticum lacuna dicitur:
vide quæso ne qua lacuna sit in auro. Undè videtur, lacunam id posse vocari, quod aliàs defectum appellamus. De ærofa fit mentio in *l. 102. ff. de solut. Leo Nov. 52. hac contingit.* Ærofa pecunia hoc loco dicitur subarata, habens plus æris, quàm oportet. Hinc Festus ærosam Cyprum appellari, inquit, quia ibi plurimum æris nascitur. Hinc Plinius de lapide æroso *34. cap. 1. de auro æroso & argento, 33. cap. 5.* mentionem facit, *vid. Corrasium 1. miscell. 9.* Æris nota fuit ex altera parte Janus geminus: ex altera rostrum navis, *vid. 3. Plin. 3. & Plut. Quæst. Rom. 41.* Æs seu cuprum etiam nummi Succii, Galli, Itali: Corium Spartani: chartam Tartari cum Regis sigillo impressam, (quam, si vetustate absumpta erat, in aulam Regis referebant, & pro iisdem novas recipiebant) loco materiæ nummorum habuerunt, *Arnif. l. 2. de Majest. jur. c. 7. 6.* Plautus in Mostellaria criminis aliquem reum facit, qui plumbeos credere vel mutuo dare solebat. Undè colligere est, Romanis præter hæc tria genera metallorum auri, argenti, & æris, nihil fuisse reliquum, illumq; crimine falsi accusandum fuisse, qui ex alio metallo cudisset. Stanneis uti Siculos aliquando coëgit Dionysius tyrannus; Ferream pecuniã habuere Spartani, Byzantijq;.

XXXVI.

Si quis autem probam monetam injecto plumbo vel stanno adulteraverit, falsum committit, *l. 1. C. de fals. monet. l. 2. eod. Huc facit l. 8. 9. & l. 19. ff. ad L. Corn. de fals.* Lacedæmonijs interdum corium materiam monetæ præbuit, *Wendelin. polit. lib. 2. c. 25. th. 4. n. 3.* Persarum hoc est peculiare, quod non auro sed argento vultus suos impresserint, *Procop. 3. de bello Gothorum.*

D

Si

Si ad Scotos progrediamur, nummus aureus & argenteus sub Donaldo I. Rege primum cudi capit. Galli hoc jus, quo auri & argenti monetam edunt, ab antiquitate numerant. Quid autem de Imperio nostro circa materiam auri observandum sit, illud usu communi videmus, quod non solum hoc jus Status Imperij; sed & non status, ut civitates aliquæ non imperiales habeant, cujuscunque materiæ velint, monetam cudendi.

XXXVII.

Qui falsam monetam in suis ædibus percussus est, socius criminis esse dicitur, & poenâ, quâ percussores, simul afficiendus aut puniendus est, *Iul. Clar. in pract. crim. quest. 87. n. 4.* Illud crimen falsi tanto odio persequimur, ut etiam præmium in accusatores constituitur, *l. 2. C. de fals. monet. l. 5. C. Th. eo.* e. g. immunitas plerumque permittitur conscio, sceleris participes detegenti, *l. 1. C. eod. adde l. 2. C. pro quib. caus. serv. l. 5. C. Th. h. t.* Nam servi si ejusmodi falsarium proderint, & in publicum deduxerint, liberantur à fisco, & civitate donantur. Dominus verò pretium accipit ex fisco. *adde Synops. Basil. tit. 18. c. 2.* Poena verò in eos prodita est, qui de custodia aliquem liberant, vel exire faciunt, quæ inter cæteras est, ut non appellet, *l. 1. C. de fals. monet.*

XXXVIII.

Hinc mulier, quæ scelus mariti abscondit, dum amor conjugalis periculum vitæ ejus optare non sinit, nec aliquid ei inhibere potest, quia non habet imperium in maritum, & quamvis culpâ careat, qui scit, sed prohibere non potest, *l. 50. ff. de R. l.* tamen relegationis vel aliâ mitiori poenâ digna ducitur, *Ant. Faber. hic in Cod.*

in Cod. de fin. 3. Gravissimum enim scelus ejusmodi percussores, & crimen læsæ majestatis committunt, *l. 2. C. de fals. monet.* Alia quæstio est, & aliud observandum, si quis metu coactus crimen revelare prohibeatur, ut puta ob metum præsentem, *l. metum. 5. ff. quod metus causa,* qui in hominem constantissimum cadere potest, *l. 6. ff. eod. l. interpositas 13. C. de transact.* metum mortis, vinculorum, *l. 7. §. 1. l. 8. in pr. ff. quod met. caus.*

XXXIX.

Adeò autem grave istud delictum est, ut celantibus poena sit proposita. Ut taceam, ejus, *l. 29. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* Executionem aut persecutionem, *l. 11. in pr. ff. de accus. l. 1. §. 1. ff. de privat. delict.* cuivis ex populo datam, *Inst. de publ. jud. §. 1.* Exceptio est (1.) in viduis, apud quas nulla tam gravis conscientia noxa residet, *ex l. 1. C. de fals. monet.* (2.) In pupillis, nam quamvis conscij sint adulterinae pecuniae, neque proderint; tamen huic legi obnoxij non sunt, adde *l. 22. in pr. ff. ad L. Cornel. de fals. §. 2. §. 19. ff. vi bonor.* Nec enim in Senatus Consultum Libonianum, nec crimen falsi, nec vi bonorum raptorum, *d. l. 2. §. 19. ff. vi bonor. nec furti, l. 23. ff. de furt. nec doli, l. 13. ff. de dolo. l. 3. in fin. ff. de tributor. l. 3. §. 1. ff. de sepulchro. rei perditæ, l. 60 ff. de rei vindicat. Sepulchri violati, l. 3. ff. de sepulchr. viol. vis illatæ, l. 1. §. 6. ff. ne vis fiat.* incidunt, quia quid faciendum vel fugiendum sit, non vident, *d. l. 1.* & dolus malus in eam ætatem non cadere præsumitur, *l. 22. ff. de fals.* si tamen pupillus proximus pubertati est, i. e. 13. annos compleverit, uti vult *Scholiasces Eccl. log.* quo tempore doli capax esse potest, *l. 13. in fin. l. 14. ff. de dol. mal. vid. l. 2. §. 19. ff. vi bonor.* à priori regula non excipiat.

XL,

XL,

Pupillo opponitur tutor. Hic quoniam ignorare non debet, quid cum pupillo geritur, gerendique liberam habet potestatem, *gloss. fin. in l. mandato. 68. de procurator. l. 35. tutor. in pr. ff. de jurejur. not. in l. praeses. 12. C. de transaction. Iason. in l. 1. §. Item acquirimus. ff. de acquir. poss. lib. 1. art. 47. Landt.* (Tutela enim pupillo suæ rei administrandæ potestatem aufert, nihil ut deinceps absque tutoris auctoritate gerere possit, *z. z. Inst. ff. de auth. tut.* & quasi dominum rerum pupillarium tutorem facit, *l. interdum. 56. §. penult. de furt. in administrando scilicet, non in dilapidando, l. qui fundum. 7. §. si tutor. 3. ff. pro empto.*) igitur ster loco pupilli, & quod pupillus aliàs tenetur fisco inferre, illud tutor de suo inferat, quia tutor res pupilli ignorare non præsumitur,
d. l. 1. in fin. C. de fals. monet.

Tantum.

UNI SOLI DEO GLORIA.

R. l. & A. 1551.

1559.


1570.


1572.

Strassberg, Diss., 1670

X2677027

Kort





Farbkarte #13

B.I.G.

I. N. 7.
O INAUGURALIS
RIDICA
Cod. rubr. II. 10.
DE

Vlll
17

1670, 15.

S NUMISMA-
TESTATE, *i.e. auctoritate, honor*

Quam
& AUCTORITATE
CI, NOBILISSIMI
I JCTORUM IN INCLYTA
TENSIIUM UNIVERSI-
E ORDINIS,

LICENTIA
ROQUE JURE HONORES
GIA DOCTORALIA
consequendi,

Eruditorum Examini
subjicit
NUS MÜLLER,
rol. March,
ensis Maij. h. lq. consuet.

MENTORATI,
NNIS WELPERI.
M. DC. LXX,

